



IURISPRUDENTIA, MVL-

TAQVE ERVDITIONE VIRO ILLVSTRI
FRANCISCO IMPERATORI IN AMPLISSIMO

Allobrogum Senatu Consiliario ac Senatori præstantissimo Iulius
Paschalis Siculus Messanensis. S.



V *M* ego Iacobi Bessoni, Mathematici huius nostræ tempestatis ingeniosissimi, Instrumentorum Theatrum à Francisco Beroaldo erudita quidem demonstratiua declaratione antè duodecim annos explanatum, & multis nunc à me perquam necessarijs Additionibus auctum, melioremque redditum, tuo nomini dicatum in medium proferre cogito; sic me forsàn aliquis interpellabit: Sed heus tu, Heus (inquam) Iuli, quid hoc monstri est? Quenam convenientia inter Mathematicas & Legum Iura? Quid cum Mathematicis magnarum causarum Iudicibus? At is certè, vir Excellentissime, satis ostendet tum optimorum Iureconsultorum partes ne-

cessarias, tum etiam te ipsum priuatim, ut decebat, minimè omnium dignoscere. Nemo enim doctus est, qui non videat ac fateatur inter eas facultates, quæ cum Iurisprudentia conueniunt, quâsque Iureperitos callere operæpretium est, Geometriam non infimum locum obtinere: cuius fructus est, & per consequens finis, ipsa Mathematica. Atque hinc dubio procul à Diocletiano Imperatore dictum existimo, *Artem Geometriæ & discere, & exercere publicè debuisse: nempe, ut qui Iuris, Iustitiæque minister, vel assertor est; is rei veritatem in omnibus naturali suo nitore splendidam illustrèmq; sectetur. Quæ veritas cum plerunq; vel ipsius rei natura, vel litigantium calumnia sit in obscuro, nihil eorum quæ ad eius inuestigationem pertinent, Iudicibus est ignorandum. Quòd autem sit plerunq; super Geometricis vel Iudici pronuntiandum, vel causarum patrono defendendum; præter ea quæ quotidie usu venire passim experimur, multis etiam legibus, præsertim ex quadragésimo primo Digestorum libro, De acquirendo rerum dominio, satis quidem abundè nobis liquet. Quas hic tibi leges recensere, cui vel apex vnus totius immensi illius Iuris ciuilibis augusti voluminis non latet; ineptum certe dici possit. Adde, quòd & ille imprimis Bartolus vester hoc item exemplo suo nobis declarat; qui & ipse aliquando Geometricè suam profert sententiam: etsi tamen (ut verum fatear) circa ipsa Geometrica principia, ut in prima earum linearum figuratiõne, quas Parallelos & Cathetos ex definitione vocamus (quòd bona Bartolistarum pace dictum sit) magna principiorum ignorantia sit lapsus, atque insulsè multum & præter disciplinæ morem disputet. Adhæc ex ijs ipsis, qui te seu linguam olim causis acuentem, seu nunc patria Iura respondentem, seu purioribus Latinis scriptis ea differentem, quæ non nisi Geometricè explicari possunt, tractare aliquando audiuerunt; quotus quisque (obsecro) est, qui non te Geometram atque Mathematicum insignem, Iurèque Consultum maximum, talique nomine magnificum verè existimet? Faceat igitur necesse est, quisquis ille fuerit, qui me personæ decore non seruato, hæc tibi Mathematica nuncupasse, cuius quasi arbor & origo (ut diximus) est Geometria, in dubium vocaret. Ceterum ut quid nos in hoc opere præstiterimus, videas; sic se res habet. Proposuerat nobis Bessonus Instrumenta à se inuenta, breuissima tantum inscriptione præfixa. Quòd cum valde obscurum esset, idque Beroaldus, iuuenis nimirum doctus, nec vulgari Mathematicum peritiã præditus, animaduerteteret; istius Theatri demonstratiuam Declarationem instituit, ac tum Latinam, tum Gallicam in suæ gentis priuatam utilitatem scripsit. Quæ cum non paruo quidem hominum fauore passim reciperetur, impetrauit à me tãdem Claudius Iugeus vir à Regis Calliarum Theauris, & ad promouenda utique iuuandaque bonarum artium ac disciplinarum studia in communem hominum utilitatem liberali ingenio propensus; ut eam ex Latina Italicam facerem. Sed cum primùm operi manus admoissem, statim percepi ulterius mihi progrediendum fore. Multa itaque in melius digesta, multaque vbiq; addita.*

Cod. de
Malcf.

Bart. in
Tiber.

A. ij.